

rioribus dicta sunt, quæstio hæc videatur ad modum loquendi pertinere, nihilominus hic modus loquendi magis probandus est, ut non simpliciter asseramus circumcisionem vel sacramentum legis naturæ contulisse gratiam ex opere operato, sed interdum in eis datam esse præter opus operantis, solum ob specialem necessitatem, cui divina providentia non statuit aliter subvenire, quæ necessitas in parvulis tantum accidebat. Probatur primo, quia hic modus loquendi est magis consentaneus modo loquendi Pauli; nunquam enim dixit, circumcisionem mundasse animam, sicut de baptismo sæpe loquitur; cui etiam consentaneæ sunt aliæ locutiones Pauli supra citatæ. Secundo hic modus loquendi in rigore physico est magis proprius, quia illa sacramenta non fuerunt causæ physicæ gratiæ, ut dictum est; loquendo item de causalitate morali, habet majorem proprietatem, quod ita explico. Nunc enim baptismus, verbi gratia, recte dicitur moraliter continere gratiam Christi, quia jam Christus illam promeruit et pretium illius persolvit, atque eam in tali sacramento moraliter reliquit. At vero de sacramento legis naturæ vel circumcisione, non potest proprie dici gratia fuisse in eis moraliter contenta, quia nondum erat pretium illius gratiæ solutum; unde cum illa sacramenta tantum essent signa Christi et meriti futuri, ex se non habebant unde gratiam moraliter continerent; ergo nec possunt proprie dici, moraliter dedisse gratiam ex opere operato, quia continere gratiam prius est, quam dare illam; et ideo Concilia, quando definiunt, nostra sacramenta conferre gratiam, addunt, illam continere. Paulus vero e contra, quando loquitur de justitia, quæ dabatur in lege, dicit, non fuisse ex lege, quia non continebatur in illa, sed ex promissione, quia respiciebat Christum venturum. Potest hæc ratio alio exemplo declarari: nam si constituamus hominem, qui ad obtinendam mercedem offerat testimonia earum rerum vel actionum, quas jam operatus est; alium vero, qui ostendat scripturam continentem promissionem futurorum laborum; merito dicemus prius instrumentum continere jam ipsum pretium, et moraliter esse efficax ad dandum illud, posterius vero esse de se inefficax, quamvis interdum ex aliqua speciali concessione possit pretium obtineri seu anticipari; ergo ad eundem modum philosophandum est de circumcisione et de baptismo. Et in hoc sensu recte accommodatur ratio D.

Thomæ etiam ad causas morales, quia meritum Christi, antequam esset, solum poterat movere ut prævisum et quasi per modum intentionis; sacramentum autem causat secundum virtutem, quam in re habet. Tertio a posteriori hoc colligimus ex eo quod supra diximus, non omnibus, quibus applicabatur circumcisio, semper fuisse aliquam gratiam datam ultra eorum merita, quod etiam nobiscum Scotus admittit. Hinc autem recte colligimus, quando in ea dabatur gratia, non fuisse datam simpliciter ex opere operato ipsius circumcisionis; nam si hoc modo daret illam, utique omnibus daret, qui non ponerent obicem; nam hæc est ratio sacramenti ex opere operato gratiam conferentis; non ergo erat ipsum sacramentum operativum talis effectus, sed solum in parvulis, propter necessitatem eorum, Deus illum effectum conferebat, non tam ex virtute sacramenti, quam supplendo inefficaciam ejus. Atque hoc sensu explicari potest, ne apertum errorem contineat, quod dixit Cano, dicta relect. de Sacram., p. 5, in circumcisione datam esse gratiam parvulo ex sola misericordia et pacto Dei, in baptismo vero ex justitia et merito Christi; videri enim potest hoc esse falsum, quia si consideretur opus externum ipsius sacramenti, in utroque necessaria est promissio et pactum Dei, ut in eo detur gratia ex certa lege; si autem effectus gratiæ consideretur in ordine ad recipientem, utrique datur ex misericordia divina; si vero in ordine ad Christum vel meritum ejus, in utroque data est gratia ex justitia; nulla ergo videtur esse illa differentia. At vero juxta dicta potest aliquo modo exponi; nam in baptismo et in quolibet sacramento novæ legis, intercessit absoluta institutio Christi fundata in riguroso merito jam exhibito, ratione cujus voluit per hæc sacramenta gratiam dare omnibus non ponentibus obicem; et ideo dicitur hic effectus esse proprie ex justitia; at vero in sacramento legis naturæ vel circumcisione, nondum erat exhibitum Christi meritum, neque erat specialiter applicatum, ut in illis sacramentis daretur gratia, sed Deus ex sua misericordia hanc dari voluit parvulis sine sufficienti dispositione ex parte eorum, propter specialem eorum necessitatem; et ideo licet illa gratia data fuerit propter meritum Christi prævisum, atque ita ex justitia, tamen quia proprie et specialiter data fuit ad subveniendum necessitati parvulorum et ante meritum Christi exhibitum, ideo dicitur fuisse speciali-

ter ex misericordia, et præter id quod generaliter debitum erat imperfectioni illorum temporum ac legum.

13. *Ad argumenta tertiæ sententiæ respondetur.* — Ad fundamenta Scoti facilis est ex dictis responsio; nam Patres ibi citati solum intendunt, quod præcedenti sectione dictum est, illud sacramentum fuisse remedium, in quo peccatum originale remittebatur, ut latius explicuit Augustinus, lib. 2 de Peccato orig., cap. 30 et seq. Ad rationem vero respondetur, modum obtinendi gratiam ex opere operantis, et ex opere operato, proprie et in rigore loquendo, non esse immediate opposita; alius enim modus esse potest ex speciali privilegio, ut infra dicemus agentes de martyrio; et ita in præsentia dici potest gratia data parvulis in his sacramentis speciali Dei providentia ac promissione ob necessitatem parvulorum; qui modus, si dicatur esse ex opere operato vel ad modum operis operati, solum propter illam negationem, scilicet, quia non fuit ex proprio merito vel dispositione operantis, non multum refert, dummodo effectus non tribuatur propriæ virtuti et causalitati ipsius sacramenti.

SECTIO III.

Utrum in aliis sacramentis veteris legis data fuerit gratia.

1. *Prima sententia omnino negans.* — Non movetur hæc quæstio de sacramentis legis naturæ, quia eo tempore non arbitramur fuisse alia præter illud, quod fuit in remedium originalis peccati; quod si forte aliqua alia fuerunt, idem judicandum de illis erit, quod de sacramentis legis veteris. Duæ igitur possunt esse de hac quæstione extremæ sententiæ. Prima est, in usu sacramentorum veteris legis nullam fuisse datam gratiam, etiam ex merito operantium, quanquam justi essent, et in charitate et ex charitate illa susciperent. Quæ opinio tribuitur Magistro Sentent., in 4, dist. 1, in cujus sententiæ confirmationem afferri possunt omnia testimonia Scripturarum, in quibus sacramenta illius legis dicuntur egena, infirma, inutilia et tanquam stercora; quæ non possent de illis recte dici, si saltem meritorie posset, per illa, gratia obtineri; et præcipue videtur favere Paulus, qui ad Rom. 2, 3 et 4, negat, ex operibus legis fuisse homines justificados. Et confirmari potest hæc opinio ratione, quia meritum de-

condigno non est sine promissione; sed usui illorum sacramentorum non erat facta gratiæ promissio, sed solum retributio aliqua temporalis, et ideo ab Hebr. 8, probat Paulus, *novum testamentum esse perfectius veteri, quia melioribus repromissionibus sancitum est.* Ergo in usu talium sacramentorum non erat meritum de condigno.

2. *Secunda sententia ex opposito affirmans.* — Secunda sententia extreme contraria est, in sacramentis antiquis datam fuisse gratiam, non solum ex merito operantis, sed etiam præter illud. Ita sentit Hugo Victor., lib. 1, de Sacram., part. 9, c. 4, et part. 11, c. 5, et part. 12, c. 4 et 12; et in Sum. sentent., tit. 4, c. 1, quibus locis etiam de sacramentis legis naturæ loquitur, non tamen expresse declarat in eis datam fuisse gratiam ultra meritum operantis, sed solum dicit, illa sacramenta fuisse sanctificantia et adjuvantia ad observanda præcepta. Idem sentit Alens., 4 part., q. 6, membr. 3, art. 2, ubi dicit, *illa sacramenta non esse tantum instituta ad significandum; apertius Bonav., in 4, dist. 1, art. 1, q. 5, ubi dicit, illa sacramenta dedisse gratiam ex opere operato; addit tamen, hoc habuisse illa sacramenta tantum per accidens, ratione fidei, non autem per se, quia non habebant (inquit) hanc virtutem ex pactione seu promissione Dei, sicut habent sacramenta novæ legis.* Sed vel ipse æquivoce loquitur de opere operato, vel repugnantia involvit in eis quæ dicit, quia impossibile est in aliquo opere externo dari semper aliquam gratiam præter meritum operantis, nisi intercedat pactio vel promissio divina; unde enim potest hujusmodi effectus oriri, nisi ex voluntate Dei? Hanc eandem sententiam partim limitat, partim clarius explicat Durand., in 4, dist. 1, q. 5; distinguit enim duplicia sacramenta veteris legis, quædam impropria, ut erant sacrificia quædam et oblationes, quæ, licet essent meritorie ex opere operantis, tamen in eis non conferebatur specialis gratia, quia non suscipiebantur ut sacramenta. Alia vero erant sacramenta proprie, quæ per sacerdotes applicabantur fidelibus, et hæc (inquit) quædam ordinabantur ad effectum, ad quem non erat gratia necessaria, ut erant illa, quæ solum ordinabantur ad legales expiationes, et de his etiam negat, contulisse aliquam gratiam, quia nec ratione effectus, nec ratione significationis, illam postulabant. Alia vero (inquit) erant sacramenta ordinata ad actus, qui sine gratia non possunt convenienter exerceri, ut conse-

cratio seu ordinatio Pontificis et sacerdotis; et de his dicit contulisse gratiam ex opere operato, et non adhibet aliam probationem, nisi quia Deus non deficit in necessariis. Alii etiam dixerunt, matrimonium dedisse gratiam ex opere operato etiam in lege naturæ, ut indicat Paludanus, in 4, dist. 1, quæst. 5, num. 52; dicit enim fuisse sacramentum, et æquiparat illud cum sacramento ordinato ad remissionem peccati; et ibidem ait, in illo statu fuisse etiam sacramentum pœnitentiæ contra actuale peccatum, de quo eodem modo loquitur, quo de remedio originalis peccati. Gulielm. etiam de Rubion., in 4, dist. 14, dixit in lege veteri fuisse sacramentum pœnitentiæ, remittens peccata actualia ex opere operato. Cui opinioni in primis favere videntur loca Scripturæ, in quibus promittitur remissio peccatorum hominibus utentibus illis sacramentis, ut Levit. 4 et 5, Deuter. 6, et similiter per consecrationem dicebatur sacerdos sanctificari, Exod. 28 et 29, Levit. 8. Unde Augustinus, quæst. 84 in Levit., exponens illa verba Levit. 20: *Ego Dominus, qui sanctifico vos*, ait: *Quomodo Moyses sanctificat et Dominus? Moyses visibilibus sacramentis per ministerium suum, Dominus invisibili gratia per Spiritum Sanctum, ubi est totus fructus visibilibus sacramentorum; nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiæ, visibilia sacramenta quid prosunt?* Atque de eisdem sacramentis loquens, quæst. 25 in Num., inquit: *Si per se ipsa attendantur, nullo pacto possunt mederi; si aliæ res ipsæ, quarum hæc sacramenta sunt, inquirentur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum.* Quapropter lib. 19 contra Faustum, cap. 13, comparans nostra sacramenta cum illis, solum dicit, nostra esse virtute majora et utilitate meliora; sentit ergo, in eis fuisse aliquam virtutem, licet minorem. Et idem videtur etiam sensisse Athanasius, orat. in illud: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, post medium, dum ait, tunc sanctificationem fuisse factam visibilibus figuris et sacramentis, ex parte utpote ad umbram.* Ex parte, inquit, id est imperfecte; conferebant enim illa sacramenta aliquam gratiam, sed minorem, quam nostra. Denique huic sententiæ favet Hieron. exponens Paul. ad Galat. 4, vocantem illa sacramenta egena et infirma, quod intelligendum esse dicit de illis sacramentis, prout jam cessarunt post Christi mortem: *Respondebitus* (inquit) *infirma his esse et egena elementa, qui ad ea post Evangelii gratiam rever-*

tuntur, in tantum enim nihil prosunt cultoribus suis, ut ne hoc quidem exhibere valeant, quod antea præstiterant; sentit ergo, antea non fuisse egena et infirma, sed habuisse virtutem ad conferendam aliquam gratiam. Ratio pro hac sententia solum est divina voluntas vel institutio, quæ ex dictis testimoniis colligitur. Congruentia vero esse potest, quia, quod Deus hoc beneficium contulerit illi populo, nihil derogat legi gratiæ, quia totum illud proficiscebatur ex meritis Christi venturi in lege gratiæ, et semper reservata erant majora beneficia et gratiæ privilegia pro hoc tempore; alioqui vero expediebat, populum illum etiam specialiter juvari ad portandum grave onus illius legis, et ad digne tractandas res divinas; et cum ex illis esset Christus nasciturus, etiam oportebat propter ipsum specialiter sanctificari.

3. *Quid in hac re dicendum.* — *Pauli locus examinatur.* — Dico primo, in illis sacramentis veteris legis nullam fuisse datam gratiam ex opere operato. Ita D. Thomas hic, et in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 5, ubi communiter Theologi, Richard., Scotus, Gabriel., Soto, et Magistri sententia facile potest in hunc modum exponi. Probatur autem primo ex nonnullis Scripturæ locis. Primum est illud supra tactum ad Galat. 4: *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa?* Quem locum tractans Augustinus in expositione illius Epistolæ, non de sacramentis Judaicis, sed de idolis Gentium, illum intelligit, et ea dicit vocari infirma et egena elementa; aut certe ipsamet simplicia corpora elementaria, ex quibus mundus componitur, ac solem, et lunam, et corpora cœlestia, quæ solebant Gentiles ut Deos adorare; scribit enim Paulus ad Galatas qui Gentiles fuerunt, quibus inquit: *Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt dii, serviebatis;* cum ergo subdit: *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis?* per egena elementa intelligit falsos Deos, quibus prius serviebant. A qua expositione non multum discrepat Ambros. ibi; nam licet per elementa, solem et lunam intelligat, tamen servire illis, dicit esse, illis abuti ad superstitiones temporum observationes, quas Gentiles colebant. Sed hæc expositio difficultatem habet, quia Galatæ non volebant iterum ad idololatriam reverti, sed legem Moysis amplecti; ergo non convertebantur ad infirma et egena elementa, id est, idola; ergo oportet intelligere cæremonias Mosaicæ,

quas in principio capitis vocaverat elementa mundi hujus, in illis verbis: *Cum essemus parvuli, sub elementis mundi hujus eramus servientes;* vocat enim elementa cæremonias illas, vel quia fuerunt initia quædam divini cultus et religionis ac expressioris fidei; vel certe, quia omnes illæ consistebant in quibusdam rebus externis, ut in lavacris, etc. Quamquam ergo Galatæ prius fuissent idololatræ, non dicit eos iterum voluisse converti ad egena elementa, id est, ad idola, sed ad quasdam res, quibus hoc erat commune cum idolis, quod erant res egenæ et infirmæ. Huic vero argumento tacite respondet Adamus defendens Augustini expositionem, per egena elementa, intelligi solem et lunam, ad quæ volebant converti Galatæ, non ut servirent illis ut diis, sicut olim fecerant, sed ut per eorum cursum observarent Sabbathata, Neomenias et alias solemnitates legis, quæ secundum elementorum volumina, id est, astrorum revelationes sumuntur et administrantur. Sed hæc interpretatio nimis coacta mihi videtur; quanquam enim demus, solem et lunam vocari infirma elementa, quod satis voluntarium est, tamen, quod observare cursus horum astrorum ad festa legis celebranda, sit servire his elementis, valde violentum est. Paulus autem de his loquens elementis dicit: *Quibus denuo servire vultis.* Magis ergo probanda videtur expositio, quæ per egena elementa sacramenta vetera intelligit, quam sequitur Tertullianus, lib. 5 contra Marcion., cap. 4, et alii Patres statim citandi. At vero alia ratione enervari potest hoc testimonium, si intelligatur Paulum loqui de illis sacramentis non prout fuere præcepta ante Christi adventum, sed prout mortua, atque mortifera post Christi passionem. Ita Hieronymus ibi interpretatur, et clarius Theophyl. dicens, vocare Paulum infirma et egena elementa, cultum eorum idololatriæ comparans, quia genus idololatriæ est illas cæremonias seu sacramenta, postquam abolita sunt, simul cum Evangelio introducere. Quæ expositio, quoad hunc locum attinet, est satis probabilis, quam etiam sequitur D. Thomas ibi, et Anselmus, quamvis litteram et contextum Pauli aliter exponat, quod nunc examinare non oportet; qui tamen etiam insinuat, eadem sacramenta potuisse antea dici infirma et egena, quia per se non valebant cultores juvare, sed gratiæ auxilio egebant, quod etiam insinuat Chrysost., Theophyl. et D. Thom.; non dicerentur autem infirma et

egena, si in eis gratia daretur, sicut non erat infirmum et egenum remedium legis naturæ, in quo originale peccatum debebatur. Hoc autem testimonium confirmari potest ex eadem epist. ad Galat., cap. 2 et 3, ubi Paulus probat, illam legem non potuisse justificare, quod etiam sæpe docet in epist. ad Rom. Si autem in illis sacramentis data fuisset gratia, multum valuisset lex illa ad justitiam comparandam. Sed neque hoc argumentum videtur convincens; Paulus enim intendit evertere Judæorum errorem, qui putant, sua sacramenta et cæremonias fuisse per se sufficientia ad justitiam et salutem sine Christo et fide ejus, ut late exponit Augustinus, epist. 19 ad Hieron.; ergo solum hoc sensu potest ex illis locis colligi, non fuisse in illis sacramentis datam justitiam, scilicet, sine fide Christi, et hoc solum concludit illa ratio, qua Paulus utitur: *Quia alias Christus gratis mortuus est;* at vero quod in illis sacramentis data fuerit gratia in fide Christi, sicut in circumcissione, nec favet Judæorum errori, nec videtur esse contra hanc Pauli doctrinam, neque inde inferri potest, gratis Christum esse mortuum, ut per se constat. Neque etiam sequitur, illa sacramenta debuisse semper durare, sed potius sequitur, cessasse adveniente Christo, quem præfigurabant, et ad quem homines disponebant.

4. *Confirmatur aliis testimoniis.* — Sed quanquam hæc vera sint, nam propter has expositiones horum testimoniorum, et aliorum similium, contraria sententia non est hæresis nota afficienda, nihilominus in hujusmodi locis semper Paulus favet huic sententiæ, extenuans et quasi in nihilum redigens virtutem illorum sacramentorum, et docens illam legem præceptis onerasse homines, non tamen juvisse, et ideo ad Rom. 3, dicit, *per legem tantum datam esse cognitionem peccati*, et cap. 4, *legem non justitiam, sed iram operatam fuisse*, et ad Galat. 3: *Quid ergo lex? propter transgressionem posita est.* Quæ loca tractans Augustinus, toto libro de Spirit. et litter., et lib. 1 de Pecc. mer. et remiss., cap. 11, et lib. 2 de Pecc. origin., cap. 25, et lib. 1 contra duas Epist. Pelag., cap. 8, et lib. 3, cap. 4, docet, hanc fuisse divinæ providentiæ rationem, ut prius homines præceptis oneraret, et sacramentis, quæ per se gratiam non conferrent, ut homines suam infirmitatem agnoscerent, et gratioribus animis auctorem justitiæ, et legem gratiæ amplecterentur; et hac de causa dicit, interdum

vocari a Paulo legem illam, legem mortis, aut ministrationem mortis, aut litteram occidentem, ad Rom. 7, 2 Cor. 3, et apud Ezechiel., cap. 20, vocari illa præcepta *non bona*, unde dicta epist. 19 ad Hieron.: *Cur (inquit) non dicam præcepta illa veterum sacramentorum nec bona esse, quia non eis homines justificantur, umbræ enim sunt præ-nunciantes gratiam, qua justificamur, nec tamen mala, quia divinitus præcepta sunt, temporibus personisque congruentia? cum me adjuvet etiam prophetica sententia, qua dicit Deus, dedisse se illi populo præcepta non bona, forte enim propterea non dixit mala, sed tantum non bona, id est, non talia, ut illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant;* ad verificandas autem has locutiones necesse est, ut in illis cæremoniis gratia non daretur. Nam quacumque ratione compararetur gratia per modum operis operati, per illa sacramenta, seu in illis, multum juvarentur homines ad illius legis observationem, et peccata vitanda; et fortasse hanc ob causam Joan. 4, lex a gratia condistinguitur, dum dicitur: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Confirmatur tandem hæc veritas ex Paul., ad Hebr. 7, dicente: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem.* Et prius vocaverat legem illam, legem mandati carnalis, significans ex se non habuisse spiritualem fructum, quod explicavit postea illis verbis: *Propter infirmitatem ejus, et inutilitatem.* Quæ verba non possunt explicari, sicut alia similia adducta ex epist. ad Galat., de tempore legis gratiæ, in quo lex vetus est reprobata, quia non dicit Paulus eam esse inutilem et infirmam, quia reprobata est, sed potius e contrario, esse reprobata, quia erat inutilis et infirma; erat ergo hujusmodi prius etiam, quam abrogaretur; explicat autem hanc infirmitatem et inutilitatem sequentibus verbis: *Nihil enim ad perfectum adduxit lex; introductio vero melioris spei, per quam approximamus ad Deum;* et cap. 9, magis explicans hanc imperfectionem, dicit de veteri testamento: *Habuit quidem et prius justificationes culturæ, id est, pertinentes ad cultum externum, et sanctum sæculare, seu mundanum, ut textus Græcus habet, quod verbum, cum obscurum sit, varias habet interpretationes.* Theod. et Ambr. intelligunt templum ipsum dictum esse, sanctum mundanum, eo quod totius mundi figuram haberet. Chryst. et alii Græci

intelligunt, idem templum dictum esse mundanum, quoad exteriorem partem ejus, quia omnibus hominibus, etiam sæcularibus, ad illud patebat aditus. Anselm. vero existimat dictum esse mundanum, quia tota ejus majestas erat externa, et quodammodo ex his rebus consurgens, quæ mundus in æstimatione habet, ut sunt aurum, argentum, lapides pretiosi, et similia. Nec multum ab hac expositione discrepat D. Thomas qui dicit, vocari mundanum, quia solum erat corporale et externum, et in eo divina virtus gratiam non operabatur. Quæ expositio ad rem præsentem confirmandam conducit, sicut et illa, quam Cajetanus addit, vocari mundanum, quia solum exigebat externam munditiam, quæ erat secundum judicium hominum; et eodem modo dicere possumus, vocari mundanum, quia in eo per se non dabatur justitia interior in oculis Dei, sed exterior in oculis mundi hujus; unde subdit Paul. inferius: *Juxta quam munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et in potibus, et in variis baptismatibus, et justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis;* et infra: *Sanguis (inquit) hircorum et tauro-rum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat, ad emundationem carnis.* Sentit igitur Paulus in omnibus illis sacrificiis et cæremoniis, secundum se consideratis, non fuisse datam gratiam, nec spiritualem fructum, sed solum fuisse umbram futurorum honorum, ut dicit cap. 10.

5. *Secundo probatur ex Patrum testimoniis.*—Secundo principaliter probatur hæc veritas ex communi Patrum sententia. Chrysostomus Homil. 7 in ad Rom. dicit, *Paulum tria ostendere in illa Epistola, primum, sine lege posse esse justitiam. Secundum, quod ad nos spectat, per legem non potuisse comparari. Tertium, legem fidei non repugnare.* Idem, Homil. 14 ad Hebræos, dicit, *sacerdotium vetus non potuisse prodesse, nec lætificare.* Similia habet Hom. 13 in Joan.; et Basilius, lib. de Spiritu Sancto, c. 14; Orig., lib. 2 contra Celsum; Irenæus, l. 4, c. 28, 32 et 34; Theodoretus, lib. 7 ad Græcinum; Ambrosius, de Sacram., c. 4 et 6, et lib. de His qui initiantur, c. 8 et 9. Cyprianus, serm. de circume. circa finem, dicens, *in illis sacramentis tantum fuisse umbram futurorum;* apertius Augustinus, enar. in Psalm. 73, in initio, differentiam constituens inter sacramenta vetera et nova, quod hæc dant salutem, illa

tantum promittebant Salvatorem; et tract. 41 in Joan., circa medium: *In veteribus (inquit) sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed tantum umbra futurorum;* et Eusebius Emis., Hom. de Transfigur., in sabbat. post 1 Domin. Quadrages., distinguens tria tabernacula, Synagogæ, Ecclesiæ, et Gloriæ: *Primum (inquit) in umbra fuit et figura. Secundum in figura est, et veritate. Tertium in veritate solum; in primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur; non enim sacramenta Ecclesiæ, sicut sacramenta Synagogæ, medicinam docent et ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina et remissio peccatorum.* Ad hoc denique confirmandum valent omnia, quæ supra de circumcissione adducta sunt, et præsertim definitio illa Concilii Florentini, in qua duæ partes ponderandæ sunt, altera negativa, in qua dicitur: *Sacramenta vetera non causabant gratiam.* Quæ absolute excludit omnem gratiam sacramentalem, sive magnam, sive parvam, et omnem causalitatem simpliciter, sive physicam, sive moralem. Dicere vero quis posset, per hanc propositionem negativam non excludi gratiam datam in ipsis sacramentis, ab eis tamen non causatam; et ideo expendenda est altera particula exclusiva, scilicet: *Sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant;* nam per hanc excluditur omnis gratia data in ipsis sacramentis per meritum recipientium, quia, si talis gratia daretur, eam sacramenta significarent; ergo non tantum essent signa prognostica gratiæ per Christum dandæ, ut Concil. dicit. Tertio, ad hanc veritatem confirmandam nulla alia ratio afferri potest, nisi quia hujusmodi gratia, danda in sacramento ad præsentiam externi operis, pendet ex divina voluntate, et promissione, de qua nobis non constat, nisi per Scripturas, vel doctrinam fidei; ergo cum ex his non colligatur promissio, sed potius contrarium, nullo modo asserenda est, maxime cum nulla sit necessitas, et illa perfectio consentanea non sit imperfectioni illius status et legis, ut ex hactenus dictis satis constat.

6. *Justi sacramentis utentes in lege veteri de condigno merebantur augmentum gratiæ.*—Dico secundo, homines justos utentes illis sacrificiis vel sacramentis de condigno illis actibus meruisse coram Deo gratiæ augmentum. Ita docent omnes Theologi supra citati, et est res certa, colligitur enim ex Scripturis et principiis fidei, quia ibi concurrebant omnia necessaria ad hujusmodi meritum et augmen-

tum gratiæ, nam ex parte operantium erat vera sanctitas et justitia. Supponimus enim eo tempore fuisse multos homines vere justos et gratos Deo. Quod est de fide certum, ut constat ex discursu veteris testamenti, et ad Hebr. 2, Lucæ 1 et 2. Deinde ipsa opera ex objecto erant bona, et grata Deo, quandoquidem ab ipso erant præcepta, et ad illius cultum et religionem pertinebant. Denique fieri poterant ex vera fide et charitate; ergo ex parte operantium et operum nihil deerat ad meritum de condigno. Neque etiam ex parte Dei aliquid deesse poterat. Nam semper, atque omni tempore, paratus fuit mercedem retribuere bene operantibus, ut patet Isai. 56: *Hæc dicit Dominus: eis qui custodierint præcepta mea, et elegerint quæ ego volo, dabo illis in domo mea locum nominatissimum, nomen æternum dabo eis;* de quo præmio dicit idem Isaias, cap. 64: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te;* quod de præmio gloriæ explicat Paulus, 1 ad Cor. 2, et de eodem dicitur Sap. 11: *Justi autem in perpetuum vivent;* et Ecclesiast. 18: *Merces Domini manet in æternum;* de qua dictum est Abrahæ Genes. 15: *Merces tua magna nimis.* Ac denique Paulus ad Hebr. 11 dicit de antiquis Patribus: *Defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes;* et infra: *Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere.* Erat ergo etiam in eo statu pactum divinum seu repromissio sub conditione operum; quod si illis operibus gloriam promerebantur antiqui justii, eadem ratione merebantur etiam gratiæ augmentum, quia post acquisitum jus ad primam gloriam, nullus meretur gloriam, nisi merendo ejus et gratiæ augmentum, et ideo de Abraham dicitur Jacobi 2, fuisse ex operibus justificatum, quæ verba de merito de condigno, et de augmento justitiæ exposuit Concil. Trident., sess. 6, c. 10, ubi eodem modo exponit illud Ecclesiast. 18: *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Si ergo justii antiqui per opera justificari amplius poterant, ergo etiam per sacramenta, vel sacrificia, quatenus erant quedam religionis opera.

7. *Respondetur ad argumenta primæ sententiæ.*—Ad fundamenta primæ sententiæ, respondetur primo, ad illa loca Scripturæ, aliqua ex illis intelligi posse de tempore post Christi mortem, ut dictum est esse probabile de testimonio supra tractato ad Galatas quarto, atque idem videtur de verbis illis ad